

ALBERICI

GENTILIS

Arcton? dammati?

*U. Cy. purgatione p
misy*

U. do
De Legationibus,

LIBRI TRES.

Lib. Pedro Canillo

y Manuel

12
17154
Πηρασχω δ' αει πηλα διδασκωμεν

~~_____~~

Ex purg. Conforme al

Ex purgatorio. Del ano

de 1701.

Thomas de Velarde

Τηλεμαχίαν seruo.

LONDINI,

Excudebat Thomas Vautrollerius

1585.





ALBERICI GENTILIS
DE LEGATIONIBVS
LIBER PRIMVS.

CAP. I.

Qui Legati nomine nuncupentur.



LEGATUS aut is dici (Varrone, Cicerone, alijs testibus) solet, qui alicuius potestatis, magistratusve personam, munusve sustinet: aut is, qui mittitur aliquid explicaturus, quod illi libeat, a quo mittitur. Priores sunt, qui bellica legatione (sic Cicero nominat pro Balbo) apud Imperatores, Ducesque exercituum funguntur. Sunt qui magistratibus similem fiduciariam (vt Cæsar loquitur) operam in officio administrando præstant: Legati Proconsulum, alij, quorum & historie, & libri iuris civilis frequentissimè memiverunt. Sed & multi sunt magistratus istius nominis, propria munera exercentes: vt Pontificius ille Legatus, quem in exercitibus bella pro Papa Romano tractare, notat libro decimoquarto Guicciardinus. Ac quidem ex eodem foro sunt illi a latere, illi constituti, illi nati, de quibus scriptum in iure Pontificio non vno est loco. Fuit magistratus olim, quem dixere Legatum Cæsaris, siue Imperatoris. & is provinciæ Præses erat, vt traditum est à Venuleio I. C. in l. 12. D. de accus. Hoc scilicet nomine Præsides, qui ab Imperatoribus in adsumptas sibi provincias mittebantur, à præsidibus distinguebant, quos in provincias suas mittebat populus. Quod

*V. lib. 4. de lin.
La. C. V. err. 4.*

*Lib. 2. de be.
cin.*

*C. 1. de Off. leg.
c. 5. eo in 6.
C. 1. de app. &
7 q. 1. placuit.
L. pe. D. de Off.
Præs.*

Legate noster, documentum? Ceterum quid te pluribus moror?
 Quid iterum quasi admoneam, ut hæc humanitatis officia, quæ
 legatis præstari solent, tu rectè consideres, si quid extra ordinem
 habent. & id ipsam quid fiet? Dicam legatos Rhodios in perni-
 ciem ciuitatis suæ ineptiisse, qui ingentem ipsis Romæ præstitam
 humanitatem referri illuc voluerint, quasi Rhodios vererentur
 Romani? Alia huius generis narrem? Scribam, e legationis dig-
 nitate non fuisse, quod Plinius de legatis Cyprijs narrat? Erat il-
 lorum vnus ex ea familia, quam a venenatis non lædi perhibent.
 itaque a Coss in dolium serpentium coniectus experimenti caus-
 sa. Non, etsi fuerit legatio prouincialis, id ille debuit. nisi enim
 Græcæ licentiæ hîc aliquid demus, legationis personam turpiter
 habitam, quisque cognoscit. Iam dicendi finem aptè cadere opi-
 nor. Copiosius de Legato (ut arbitror) scripsi, quam scripserit
 Crates, aut Phalæreus: Tassi certè testimonio latius, quam ab
 Hermolao factum perhibeatur; &, quod ego scio, ab ipso Tasso
 factum est. De alijs (non ignoro, alios adhuc in isto argumento e-
 laborasse) dicere, meum non est, qui ipsorū libros non legi. Dicet
 alij & de re isthac, & de alijs, quas quidem a me tibi, Legate, præ-
 stitas desideravi. Optimi legati formā latissimis, siue expressam,
 siue adumbratam disputationibus, quantum in me fuit, tradere
 conatus sum: & eam minutori mox ista tabella, nec tamen sine
 emblematicæ adiectione, reddere studui. At neque prius te dimitto,
 quam, quod Socrates iucundius adhuc existimabat, tibi etiam i-
 maginem istam, speciemque viuam perfecti legati exhibeam. ad
 quam scilicet rem nec mihi Zeussis artificio, nec alterius cuiusquā,
 qui quid simile sunt executi, censeo opus esse: in vno enim viro
 excellentem hanc formam inueniri, & ostendi posse confido:
 nam is omnia sic habet, quæ ad summum hunc nostrum orato-
 rem constituendum requiruntur, ut cumulatoria e-

tiam habeat, & ampliora. Is est

PHILIPPVS SYDNEIVS.